



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

21. Charitas cordis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

II. O ignis, qui semper ardes, & nunquam  
extingueris! o amor, qui semper uris, & nun-  
quam tepescis! accende me, & accendar,  
ut totus diligam Te. S. Aug.

III. Omnia detrimentum feci, & arbitror  
ut stercorea, ut Christum lucrifaciam. Ad  
Phil. c. 3. 8.

## PASSUS XXI.

Charitas Cordis.

TEXTUS.

*Præbe, fili mi, cor tuum mihi,  
& oculi tui vias meas custo-  
diant. Proverb. 23. 26.*

Cognitio.

**D**EUM diligere ex toto corde, & ex  
tota anima, & ex tota mente, quod  
mandatum divinum præcipit, duplici ra-  
tione explicari potest. Modus prior est,  
1. Diligere *ex toto corde*, est mortificare in  
eo, quidquid est amoris proprii. 2. *Ex tota*  
*voluntate*, est negare illi, quidquid illa  
vult, ut expleatur, quod Deus vult. 3. *Ex*  
*tota anima*: est refræcnare omnes passio-  
nes

nes & appetitiones, ut omnes ejus affectus  
cant post Deum. 4. *Ex tota mente*, est  
captivare proprium judicium, in obsequium  
fidei, & divinæ voluntatis executionem.  
5. *Ex omnibus viribus*, est mortificare sen-  
sus, & potentias animæ applicare ad obser-  
vationem Divinæ legis.

Altero modo, quo ea hîc sumimus, di-  
ligere Deum ex toto corde, anima & viri-  
bus, est ita diligere, ut 1. *Phantasia* nostra  
versetur circa Deum, eumque sibi imagine-  
tur, meliore modo, quo potest, & ad amo-  
rem & cognitionem aptiore: v. g. velut  
lucem quandam purissimam, immensam  
& infinitam; aut veluti Solem fulgidissi-  
mum, Sole nostro millies clariorem & pu-  
riorem; sed omni materiâ & imperfectione  
carentem. 2. *Memoria* crebrò seu identidem  
de Deo cogitet, cogitationesque suas ad  
Deum dirigat, ac reflectat. 3. *Intellectus*,  
adjutus sapientiæ supernaturalis & fidei lu-  
mine, Deum, ejusque attributa & perfectio-  
nes crebrò meditetur, ruminet & perpen-  
dat, & magis, magisque intelligere ac pene-  
trare studeat. Multùm id ad amorem con-  
ducit; *Ignoti enim nulla cupido*, amor nullus.  
4. *Voluntas* varijs & sublimibus amoris acti-  
bus sese occupet, ac cum Deo conjungat.  
Quem in finem varios amoris actus hîc sub-  
jungimus, ut exercitium charitatis cordis,  
seu

seu interni & affectuosi amoris practicè ad-  
discatur.

*Dilectio affectuosa.*

1. Amo Te, Deus meus, summum bonum meum, ex toto corde, *amore appretiationis & excellentia*; quo omnibus rebus creatis infinite Te præfero: omnibus libens propter Te renuntio, omnibus divitiis, honoribus, voluptatibus, & vitæ propriæ Te longissimè antepono.
2. Amo Te, Deus meus, ex toto corde, *amore complacentia*, quo in Te, tuis personis, & perfectionibus eminentissimis, summè mihi complaceo.
3. Amo Te, Deus meus, ex toto corde, *amore unionis*, quo tibi, quantum possibile est, memoriâ, intellectu, & voluntate intimè uniri desidero.
4. Amo Te, Deus meus, ex toto corde, *amore gaudii*; gaudens, & spiritu exultans de tua præsentia, dulcedine, pulchritudine, cæterisque tuis perfectionibus infinitis.
5. Amo Te, Deus meus, ex toto corde, *amore desiderii*: quo Te Deum meum, summum & unicum bonum meum, habere & possidere desidero.
6. Amo Te, Deus meus, ex toto corde, *amore contritionis*; amore enim Tuî, do-

leo de cunctis peccatis meis , quòd iis Te summum bonum meum offenderim, quem super omnia diligo.

7. Amo Te, Deus meus, ex toto corde meo, *amore conformationis*, quo voluntatem meam in omnibus prosperis & adversis, in vita & morte, tuæ sanctissimæ & rectissimæ voluntati penitus conformo, ac præcepta tua, omnémque voluntatem tuam amplecti & adimplere desidero.
8. Amo Te, Deus meus, ex toto corde meo, *amore oblationis*, quo meipsum & omnia mea, uti & cogitationes, verba, atque opera Tibi offero ac consecro.
9. Amo Te, Deus meus, ex toto corde meo, *amore congratulationis*, quo Tibi de infinitis excellentiis tuis & bonis ex animo congratulor & collator.
10. Amo Te, Deus meus, ex toto corde, *amore pacis*, quo pacificè conjungar  
1. mecum. 2. Cum Te Deo meo. 3. Cum proximo, ut in Te solo semper sequere requiescam.
11. Amo Te, Deus meus, ex toto corde meo, *amore odii mei ipsius*; quo me, carnem meam, & peccata odi, ut Te amem amplius.
12. Amo Te, Deus meus, ex toto corde meo, *amore benevolentia*, quo omne  
bo-

bonum intrinsecum & extrinsecum ex  
animo tibi volo, cupio, opto & faveo.

*Petitio.*

Deus, qui diligentibus Te facis cuncta  
prodesse, da nobis multiplicis hujus chari-  
tatis ardentis affectus, ut Te toto corde  
nostro diligamus, & à Te vicissim diligi  
mereamur.

*Aspirationes.*

I. *Pone me ut signaculum super cor tuum.*  
Cant. c. 8. 6.

II. *Ponderibus suis aguntur omnia, &  
loca sua petunt: pondus meum, amor meus,  
illo feror, quocunque feror.* S. Aug. L. 13.  
Confess.

III. *In toto corde, & in omni virtute  
sua dilige illum, qui Te fecit.* Eccli. c. 7. 32.

PASSUS XXII.

Charitas oris & locutionis.

TEXTUS.

*Ex abundantia cordis os loqui-  
tur.* Matth. c. 12.